

Catholici Reges in variis legibus Indiarum nihil magis cordi habent, quam quod Indi in fide Catholica instruuntur. Et in C. 15. tit. 1. lib. 1. R. Indiar. jubent, quod quicumque habeat in suo servicio Indos infideles, quotidie eos mittat in Ecclesiam, ut ibidem per unam horam audiant Catechismum: quod si eorum Dominus Indos infideles impediatur, eorum servitio privetur. Infideles, qui adhuc non sunt sub dominio temporali Pontificis, vel alterius Principis Christiani, non possunt cogi predicacionem audire, cum ad hoc jurisdictione careant, tam Pontifex, quam Principes Sæculares.

79 Principe Christiano licere foedus inire cum Sarracenis, vel aliis Paganis, eosque in auxilium advocare ad bellum justum contra alios Principes Catholicos promovendum, tenent Abb. in cap. 8. de Vet. n. 15. Farinac. in Prax. Crim. q. 125. n. 90. contra alios. Dicendum tamen est, quod licet speculativè loquendo, hoc possit fieri, quia nullibi prohibetur; imò Abraham foedus inivit cum Abner, Manbre, & aliis infidelibus, David, & Salomon, cum Hiram Gentili, & Machabæi cum Romanis: & posset Princeps infidelium auxilio uti, sicut solet uti ministerio elephantum, vel equorum, in praxi tamen periculosum est eorum auxilium contra Christianos implorare ob maxima scandala, vitia, peccata, contumelias, & injurias, quæ in contemptum veræ fidei solent ab eis perpetrari. Et ideo in Scriptura talia foedera cum Paganis prohibentur. Exod. 23. v. 32. Et Paul. 2. Cor. 6. v. 14. ait: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. quia conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cum infideli?* Si verò Princeps Christianus non habeat aliud auxilium, quo possit juvari, potest infideles in sui auxilium ad bellum justum, etiam offensivum accersere. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 31. n. 24. Abbas, Farinac. Molina, Valent. Bañez, & alii.

80 Semper, etiam tempore pacis, prohibetur sub censura, deferre arma, aliaque instrumenta bellica ad Sarracenos, Hæreticos, & alios infideles, ne nostris subsidii nobis bellum moveant, cap. 6. cap. 11. cap. 17. h. t. Bulli. Cæn. cas. 7. Et Jure Civili tales capite puniuntur, & confiscatione bonorum. L. fin. C. Quæ res exportari. Et in nostra Hispania, qui arma infidelibus deferrebant, fiebant servi jusculumque ipsos caperet, & eo-

rum bona fisco applicabantur. L. 4. tit. 21. p. 4. Hodie hoc delictum pertinet ad Inquisitores. Bobad. Polit. lib. 2. cap. 17. n. 69. Caven. de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 17. §. 20. Tempore belli inter Christianos, & Infideles omne commercium prohibetur sub censura in Bulla Cœnæ Pontifici reservata, ne hac occasione Christianorum, arcana ipsis prodantur, cap. 12. h. t. Imò, & tempore treuge, seu induciarum, capit. 11. h. t. sub eadem censura prohibetur, certiores facere infideles, vel hæreticos de rebus ad Republicam Christianam concernentibus, vel auxilium, favorem, vel Consilium in Christianorum præjudicium præstare, etiam non secuto consilii effectu: & etiam infidelis ante tale consilium, jam sit paratus ad inferendum damnum Christianis. Ut contra Bonatin. tenent Ugolin. ad Bull. Cæn. cap. 4. §. 2. Corr. idea cons. D. 6. & alii. Qui gravi metu coacti auxilium præstant infidelibus, vel hæreticis contra Catholicos non incurrunt censuram: nam hoc ex benignitate Ecclesie præsumitur; imò si tantum materialiter, & remote cooperentur, ut remiges; v. g. nec peccatum quidem committunt, nam charitas non obligat cum tanto periculo proprio, præcipue si non est probabile, posse damnum proximè vitari.

81 Judæi, si delinquant, debent puniri à Principe Sæculari, & ejus Magistratibus, in cujus territorio sunt, cap. 14. h. t. possuntque à Regno expelli, & pena capitis puniri. Si verò delictum cedat in nostræ Religionis contemptum, ab Ecclesia, & Inquisitoribus possunt puniri ex Constitutione Antiqua 70. Gregor. XIII. non tamen censura Ecclesiastica: quia non sunt membra Ecclesie, possunt tamen hoc modo puniri indirectè, privando Christianos communicatione cum Judæis, cap. 14. h. t. idem sentiendum de eo, qui malitiosè se gerit pro Christiano, cum baptizatus non sit. Crimina Christianorum, qui Ritus Judæorum exercent, & sunt Judaizantes, & similiter Judæorum, vel Sarracenorum crimina, qui baptismum valide, licet invitati, & coacti receperunt, si postea, ad suam perfidiam revertantur, privativè pertinent ad Inquisitores, qui in ipsos, & eorum fautores, defensores, & receptatores participes, ac contra hæreticos, procedunt ex Constitut. Clem. IV. Gregor. X. Nicol. IV. Greg. X. Paul. III. Judæos, qui consentiens baptizatus est, invalidè tamen ex defectu

ma

materiæ, formæ, vel intentionis Ministri, & etiam, qui fidei baptismum suscepit, cum ab Ecclesia baptizatus præsumitur, ab ipsa poenis apostatarum, vel hæreticorum potest puniri, si deficiat à fide. Imò debere sic puniri, qui credit, se baptizatum, etiamsi de invaliditate baptismi postea constet Ecclesie, tenent Farinac. in Praxi Crim. q. 178. num. 135. Dian. p. 4. tr. 8. res. 78. Genz. in cap. 4. de Apost. n. 4. Dicendum tamen est, ipsum, ut hæreticum, etiamsi à fide resiliat, non posse ab Ecclesia puniri, quia talis cum non sit per januam baptismi in Ecclesiam ingressus, non est subditus Ecclesie, ac proinde, nec ab ea puniri valet; Suarez de Cens. D. 21. sect. 2. num. 4. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 34. & alii Cathecumeni, licet extraordinariè possint ab Ecclesia puniri, propter injuriam, quam ipsi faciunt, ritus damnatos exercendo, non tamen possunt, ut hæretici puniri, cum adhuc non sint in Ecclesiam ingressi.

TIT. VII.

De Hæreticis.

82 **N**omen hæresis non erat apud antiquos, & in sua primaria significatione adeò odiosum sicut est hodie: nam quælibet particularis alicujus Scholæ opinio dicebatur hæresis. Sic dicebatur hæresis Peripateticorum, vel Stoicorum illorum doctrina, vel secta, à quodam verbo Græco, quod eligere significabat. Sic qui aliquam opinionem in materia fidei distinctam ab Ecclesie doctrina eligebant, Hæretici dicebantur, teste D. Hieronym. in cap. 27. 24. q. 3. nam suum particulare dictamen sequentes à recta via veræ doctrinæ divertebant. Ideo noster Sapientissimus Alphonsus in L. 1. tit. 26. p. 7. ait: *Hæresis en Latin, tanto quiere decir en romance, como departimiento; é tomò de aquí este nome Herege, porque el Herege es departido de la Fe Catholica de los Christianos.* Et sic communiter definitur: *Hæresis est error intellectus liber, & pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit, ex D. Aug. contra Faust. D. Thom. 2. 2. q. 11. art. 1. Suar. de Fid. D. 19. sect. 1. n. 5. & sect. 3. n. 8. Et expresse habetur in L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C. ibi: *Herege es todo aquel, que es Christiano bautizado, y no cree los Articulos de la**

Ton. II.

Santa Fe Catholica, & algunos de ellos. Quando tantum datur error intellectus, deest tamen pertinacia, quia forte ex simplicitate, vel etiam ex positiva sinistra informatione errat quis circa fidem, est hæresis tantum materialis. Si præter errorem intellectus, detur pertinacia voluntatis in ejus assensu, erit hæresis formalis: in hac enim pertinacia stat formalis malitia hæresis, cap. 29. 24. q. 3. cap. 31. 24. q. 3. Cl. un. §. Porrò, de Sum. Trin. L. 2. tit. 26. p. 7. ibi: *E si por aventura non se quisieren quitar de su porfia, debellos judgar por Hereges.* Consistitque in eo, quod quis postquam cognoscit aliquam veritatem, quantumvis minimam, esse definitam ab Ecclesia, eam neget etiam per unicum momentum: siquidem malitia pertinaciæ non stat in duratione temporis, sed in eo, quod quis suum iudicium præferat definitioni Ecclesie. Sanch. in Decal. L. 7. cap. 7. à n. 2. Vasq. 12. D. 126. n. 6. Debetque quis existimare, se contravenire doctrinæ Ecclesie, ut contumax, & hæreticus credatur: nam qui Episcopo; v. g. vel inquisitori non credit, etiam in materia fidei, si tamen paratus sit suum errorem deponere, si ab Ecclesia corrigatur, non est hæreticus. Gann. de Locis Theol. L. 12. cap. 9. Vasq. 12. q. 76. art. 3. D. 226. cap. 3. n. 7. Sanchez in Decal. L. 2. cap. 7. n. 25. Quando error exprimitur verbis, vel aliis signis, vel facto ipso, dicitur hæresis externa, si mente tantum retinetur, quin aliquo externo signo prodatur, dicitur hæresis mentalis, vel interna. Qui verbis, vel factis aliquid exprimit contra fidem, animo tamen fidem retinet, non est hæreticus coram Deo, nec poenas Hæreticorum in conscientia incurrat, qui non habet dissentium voluntarium revelationi Divinæ repugnantem: in foro tamen externo hæreticus præsumitur, & ut talis punitur. Suar. de Fide, D. 14. sect. ult. num. 5. Navarr. in Man. cap. 17. num. 56. & alii.

83 Qui errat in fide ex ignorantia, etiam vincibili, culpabili, crassa, & affectata, non est hæreticus formalis; nam ad hæsim incurrendam est necessarium, quod quis sciens, & prudens voluntarie, & pertinaciter errorem teneat. Cl. un. §. Porrò, de Sum. Trinit. ibi: *Qui asserere, defendere, seu tenere pertinaciter presumpserit. Et qui ignorat, etiam culpabiliter, non pertinaciter tenet.* Suar. de Fid. D. 19. sect. 3. à n. 9. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 7. ex n. 20. Sot. in 4. D. 22. q. 2. art. 3.

X 2

Lop.

Lop. & alii. Qui verò ex contemptu auctoritatis Ecclesiæ ignorantiam affectat studiosè, non indagando: hic auctoritatem Ecclesiæ contemnendo, pertinacitèr errat, nec est paratus suum iudicium Ecclesiæ subijcere. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 23.* Deinde: ille qui inter Hæreticos natus, & educatus nihil de nostra fide, vel tantum falsa audivit, & dubitat de fidei articulis, non est hæreticus, nisi materialitèr, quia cum non sit benè instructus, potius ex ignorantia, quam ex pertinacia peccat. Hinc, qui negativè dubitat de aliquo fidei articulo, omne iudicium suspendendo, neque assentiendo, neque dissentiendo objecto, non est hæreticus, quia cum iudicium non habeat circa fidei articulum, nec errorem potest habere. Hæreticus verò est, qui positivè dubitat de aliquo fidei articulo, credendo, vel affirmando, illum esse dubium, etiam postquam sufficientèr est propositus, juxta textum in cap. 1. h. t. *Dubius in fide infidelis est, cap. 1. de Sum. Trinit. Cl. m. §. Porro eod. quia non potest quis salvus fieri, nisi fidelitèr, firmitèrque crediderit; juxta symbolum S. Athanasii.* Et unum ex præcipuis fundamentis nostræ Religionis est credere, fidem esse infallibilem, juxta *Apost. Jacob. in Epist. Cath. cap. 1. v. 6. in fide nihil hasitans.* Quomodo enim firmitèr credet qui dubitat? Quomodo, qui dubius est, potest dici, nihil hasitans in fide? *D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 5. & q. 11. art. 1. Suar. de Fide, D. 19. sect. 4. n. 10. Barbosa. & Gonz. in cap. 1. h. t.* Nec est hæreticus ille, qui errat involuntariè, & indeliberatè, circa res fidei, multoque minus, qui in vitus patitur tentationes, quia sine libera electione voluntatis nequit procedere dissensus circa fidem, sicut sine pio voluntatis affectu nequit oriri assensus erga illam.

84 Qui nondum est baptizatus, etiamsi cathecumenus sit, si teneat, etiam pertinacitèr, errorem contra fidem, non potest ab Ecclesia, ut Hæreticus puniri: siquidem adhuc non est ingressus in Ecclesiam per januam baptismi, ac proinde adhuc non subest illius jurisdictioni, cap. 8. de Divort. *Trid. sess. 14. de Penit. cap. 2. Suar. de Cens. D. 21. sect. 2. num. 4.* Nec est Hæreticus, qui negat conclusionem Theologicam: qui scilicèt, duabus præmissis propositis, altera de fide, alia naturalitèr evidenti, negat consequentiam legitime illatam; V. g. qui negat, Christum esse risibilem,

quæ conclusio inferitur ex eo, quod Christus sit homo, & omnis homo sit risibilis; nam licet non credatur, negare propositionem naturalitèr evidentem, neque illationem legitimam conclusionis, ac proinde propositionem de fide censeatur negare; absolute tamen potest ab hæresi excusari, vel quia neget universalitatem propositionis evidenti, vel quia non capiat vim illationis, consequentèrque nihil neget à Deo relevationem. *Suar. de Fide, D. 19. sect. ult. ex num. 3. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 33. & alii. Contra Canon. L. 12. de Locis, cap. 9. Valent. 2. 2. q. 11. p. 1. & alios.* Qui revelationi privatæ sufficientèr propositæ dissentit est verè Hæreticus coram Deo, quia Divinæ auctoritati revelatæ non credit, non tamen incurrit excommunicationem, & alias penas Hæreticorum: cum de tali revelatione, aliis constare non possit. *Suar. de Fid. D. 19. sect. 5. num. 11.*

85 Ut periculum hæresis disseminandæ arceatur, prohibentur conventicula occulta, maxime ubi viget hæresis, vel ejus suspicio timetur. *Text. in cap. 12. cap. 13. h. t. L. 5. C. de His, qui ad Ecl. confug.* Disputatio cum hæreticis regularitèr est prohibita, non tantum Laicis, sed etiam Clericis, cap. 36. 24. q. 3. non solum indoctis; nam hi non possent errorem confutare, sed potius errandi periculum se exponerent; sed nec doctis quidem; nam sæpè nulla spes conversionis effulget, sed potius perturbatio pacis timetur ob indurationem, & obstinationem Hæreticorum: imò scandalum simplicioribus posset generari, si coram ipsis institueretur disputatio, & vim argumentorum perciperent, & non ad eò facile eorum solutionem callerent, & sic in fide titubarent. Si hoc periculum non timeatur, spesque conversionis Hæreticorum affulgeat, licèt Clericis sufficientèr instructis: imò, & Laicis cum Hæreticis disputare, eorumque confutare errores: imò tenerentur Religionem, & veram fidem defendere, se illis opponendo, si vellent suis erroribus simpliciores irretire. *Sanch. in Decalog. L. 2. cap. 6. num. 12.*

86 Laicis non solum prohibetur verbum Divinum prædicare, cap. 19. D. 23. cap. 12. h. t. cap. 13. §. Quia verò, eod. in 6. Si quidem Christus D. tantum Discipulis, & præcipuè Apostolis hoc munus commissit. *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Act. 13. v. 2.* Sed etiam sub ex-

communicationis pœna, per sententiam inferendæ, prohibentur publicè, vel privatim de fide disputare, cap. 2. §. 1. h. t. in 6. quæ constitutio, cum generalis sit, etiam Laicos, aliàs doctos, comprehendit. Non tamen ipsis prohibetur disputatio materialis fidei, inter fideles exercitiè tantum causa, imò in Germania, & ubi permixti sunt cum Hæreticis possunt Laici benè instructi, cum Hæreticis impunè disputare; siquidem ibi non est recepta saltem cum tanto rigore constitutio *text. in cap. 2. §. 1. h. t. in 6.*

87 Jure Divino prohibetur Catholicis communicare cum Hæreticis. 1. Si Catholico ex tali communicatione animæ periculum imminet. 2. Si sequatur grave apud Catholicos scandalum ex tali communicatione, quasi errores Hæreticorum facto, vel signo aprobenentur. 3. Si in Hæresis crimine, obquam fuit hæreticus excommunicatus communicet Catholicus; cum, qua hæreticum defendendo, occultando, &c. Extra hos casus, etiamsi hæretici notorii sint, dum tamen non sunt expressè, & in particulari denuntiati, non sunt vitandi, nec communicatio cum eis est prohibita. Catholicis præcipuè in Germania, Anglia, & ubi sunt cum hæreticis permixti licèt cum hæreticis commercia incurrunt, possuntque eorum conciones audire ex juxta causa; v. g. ad eorum errores notandos, & confutandos, vel si famulus Dominum comittetur; cur. eis orare, funusque comitari, eosque ad sepulturam deducere licet: nam animo favendi hæreticis, quia hoc intrinsecè malum est, sed sola amicitia, & humanitate; nam si vivis communicare licet, etiam mortuis licet communicare, dummodo hæretici in loco profano sepe-liantur, & nullum scandalum, vel causa offensionis Catholicis sequatur, nec in ritibus, & cæremoniis hæreticorum communicemus. Etiam licitum est hæreticorum templa adire, & ibi orare ritu Catholico: etiam licet Catholico filium hæretici ex baptismo suscipere, si more, & ritu Catholico ministrare secus si ritu hæretico: non tamen licet, vice versa, quod Catholico adhibeat hæreticum in sui filii patrinum: quia cum patrini officium sit instruere baptizatum in fidei primis rudimentis, hoc hæreticus facere nequit. Nec filiis Catholicorum adire licet hæreticorum scholas, ob perversionis periculum. E con-

tra tamen filii hæreticorum possunt utique ad Catholicorum Scholas admitti, ut ibi in fide, & bonis moribus instruantur. Et licet sub certis limitationibus aliquando possit permitti: regularitèr tamen non est licitum Catholicis cum hæreticis matrimonium contrahere, cap. 15. cap. 16. 28. q. 1. Ob perversionis periculum, & quia scandalum oritur: Si tamen defecto contrahatur, validum erit matrimonium. Nec licet Catholicis Sacramenta, à Parochis, & Episcopis hæreticis recipere extra casum necessitatis saltem si ex tali receptione pervasio, vel scandalum timeatur, vel ritu hæretico ministrentur. Vid. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 9. & alios latius de his pertractantes.*

88 Sæpè sæpius est prohibitum, & merito quidem, libros hæreticorum, sive impressos, sive manuscriptos, tractantes de religione, vel hæresim continentibus, etiamsi non ex instituto de religione tractent, sed incidenter, dum tamen hæreticum dogma contineant, legere, illos imprimere, imò, & retinere, sive proprio, sive alieno nomine, sive in domo propria, sive aliena, sive causa hæresis propagandæ, sive curiositatis, venditionis, vel alio quocumque fine: vel defendere, vel alitèr cooperari immediate ad eorum impressionem, vel publicationem. L. 8. §. fin. L. 16. §. fin. C. de Herit. cap. 4. h. t. *Trid. sess. 4.* Et hodie excommunicatio in *Bulla Cœna, casu. 1.* Contra tales, est reservata: tum ob hæreticorum odium: tum, & præcipuè, ne incauti tali perversa, & erronea doctrina, quæ sæpè, ut anguis latet in herba, pervertantur. *Barbos. & Gonzal. in cap. 4. h. t.* Non comprehenduntur in talis prohibitionis excommunicatione, Paganorum, vel Infidelium libri, cum tales non sint hæretici. Nec libri Magici, cum Magia hæresis non sit. *Suar. de Fid. D. 20. sect. 2. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 10. ex num. 22.* Nec excommunicationem incurrit, qui ignorat, librum esse hæretici, vel hæresim continere, licet ignorantia, sit crassa. Nam quamvis à delicto non excusat, excusat à pœna, ad quam contrahendam Bulla requirit scientiam; nisi ignorantia sit ad eò crassa, ut possit dici temeritas. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 10. num. 38.*

89 Qui in libro hæretici plusquam paginam in folio legit, etiamsi ibi nulla hæresis inveniat, vel si legat, vel præfationem, vel epistolam dedicatorem, vel indicem libri, grave peccatum committit, & excommunicationem incurrit: quia hæc certè est materia gravis. Quanam verò sit censenda parva materia, ut à peccato, & excommunicatione excuset, non conveniunt DD. Hanc parvitatem usque ad integram paginam in folio extendunt *Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 10. & alii*. Minorem tamen materiam sufficere ad peccatum, & excommunicationem asserunt *Suar. de Censur. D. 20. sect. 2. n. 20. Castropal. tract. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 6. Bonac. de Cens. D. 2. q. 5. p. 4. num. 13. & alii*. Nec sufficit materialiter librum legere, sed requiritur, quod legens sensum verborum intelligat, etiamsi ore non proferat, sed tantum visu percurrat, vel etiam audiat alium legentem, saltem, si ipse legere mandavit: nam qui per alium legit, per se legere censetur. *Arg. c. 72. de Reg. jur. in 6. Suar. de Censur. D. 20. sect. 2. ex n. 18.*

90 Qui per breve tempus, scilicet per unum, vel alterum diem, librum hæreticum retinet, ob parvitatem materiæ à peccato gravi, & excommunicatione liberatur. Similiter dicendum est de eo, qui tantum duo, vel tria folia retinet: nam hæc respectu retentionis est materia parva, licet notabilis sit respectu lationis: nam gravius delictum est legere, quam retinere. Cum tamen excommunicatio, de qua loquimur, sit inflicta contra legentes, & retinentes libros hæreticorum, non censetur subjacere huic censuræ, qui legit, aut retinet epistolam, concionem, vel aliud scriptum paucorum foliorum, quod de religione tractet, vel hæresim contineat, quia cum nomine librorum communiter non comprehendantur, non debet ad ea extendi constitutio, quæ utpotè odiosa restringenda est, non amplianda: etiamsi eadem ratio daretur in utroque casu. Sic *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 10. n. 29. Castropal. tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5. Bonac. de Censur. D. 2. q. 5. p. 4. num. 18. & alii*. Hæc sententia, quæ speculative satis probabilis est, in praxi tamen, ut animæ periculosa non est consulenda, sed potius contraria, quam defendunt. *Suar. de Censur. D. 20. sect. 2. n. 10. Urgolin. de Censur. p. 2. Farinae. in Pr. q. 180. & alii.*

91 Excommunicationem incurrit, etiam ille, qui ex bono fine retinet, & legit libros hæreticorum, ad impugnandum scilicet errores in illis contentos: quia prohibitio Bullæ generalis est ex quavis causa, & quovis ingenio, vel colore. Et quamvis in hoc particulari cessaret ratio, non cessat in communi periculum perversionis multorum. *Suar. de Cens. D. 20. sect. 2. n. 21.* Si quis enim vult eorum errores impugnare, debet petere facultatem legendi, & retinendi tales libros, vel à R. Pontifice, vel ab Inquisitore Generali, vel ab aliis, qui hanc facultatem communicare possint. Hinc *Alex. VII.* hanc propositionem damnavit, quæ est ordine 45. *Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Nec potest retineri liber prohibitus, etiam si quis autoritate propria propositionem in eo damnatam expungat. Nam adhuc prohibitus manet, sed est necessarium, quod talis expunctio fiat ab habente facultatem scilicet, à Papa, vel à Tribunali Inquisitionis. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 10. n. 35.* imò nec sufficit propria autoritate libros comburere, vel in mare projicere, sed sub excommunicatione, & aliis pœnis sunt tradendi Tribunali Inquisitionis, vel aliis ad hoc deputatis. Nec ipsi Inquisitores possunt legere libros hæreticorum, nec dare licentiam ad legendum, quia hoc spectat ad Inquisitorem Generalem. *Sanch. Dian. Allox. V. Inquisitores, sect. 1. n. 8.* nisi hanc facultatem habeant.

92 Ut verò sciamus, quinam libri sint prohibiti, quoad nostram Hispaniam debet videri expurgatorium S. Inquisitionis editum ann. 1707. ubi in Reg. 3. Sic habetur: *Los libros de los Heresiarcas, de qualquier titulo, ó argumento, se prohiben del todo: los libros de los otros Hereges, que de proposito tratan de Religion, y puntos controversos de ella, se prohiben del todo: mas bien se permiten los que no tratan de ella, siendo primero examinados, y aprobados por Theologos pios, y doctos por nuestro mandado, como son muchos contenidos, y permitidos en la primera classe de este nuestro Catálogo. Et in Regul. 12. dicitur: Y se prohibe, y manda, que ninguno por su autoridad los quite, (los errores contra la Religion) ni borre, ni rasgue, ni quemne los libros, papeles, ni folios, donde se hallaren; antes los manifieste todos á los Inquisidores. Et licet de Jure Communi pos-*

possint Episcopi fidei edicta proponere, vel etiam edicta promulgare libros prohibendos, & Theologica censura notando, cap. 9. b. t. *Trid. sess. 4. in Decret. de Edit. & usu Sac. Libror.* Hodie saltem in nostra Hispania, hæc potestas non est cumulativa, sed privativa Inquisitorum: undè jam Episcopi in his Regnis non possunt de hæresi cognoscere, nec fidei edicta proponere: quod ex privilegiis Apostolicis, & præcipue ex praxi inconcussa, & inveterata constat. *Dian. in Sum. V. Jurisdic. Inquisitor. Allox. in Sum. V. Inquisitores, sect. 1. n. 2. Molina, & alii.*

93 Crimen hæresis est merè Ecclesiasticum, ac proinde ejus cognitio solum pertinet ad Judices Ecclesiasticos, cap. 9. b. t. cap. 18. eod. in 6. L. 2. tit. 26. p. 7. & *ibid. Greg. Lop. L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C. ibi: Y este tal despues que por el Juez Eclesiástico fuere condenado por Herege.* Et notat *ibid. Azeved. n. 116.* Judices Ordinarii in hæresi crimine sunt. 1. Pontifex. 2. Legatus à latere; *arg. capit. 12. b. t. in 6.* De consuetudine tamen Legatus non se ingerit sine speciali commissione Pontificis, vel Supremi Tribunalis Inquisitionis. 3. Episcopus respectu suorum Diocesanorum. *Gl. 1. §. 1. b. t.* etiamsi hi sint exempti: nam tunc ut de legatus Papæ procedit, cap. 9. b. t. 4. Capitulum Sedevacante, per mortem Episcopi, vel quasi vacante, quia Episcopus sit ab Hostibus captus, vel quia non possit administrare, cap. 9. b. t. 5. Vicarius Capituli, etiam sine speciali commissione: secus dicendum est de Vicario Episcopi, qui sine speciali commissione non potest procedere ob gravitatem causæ. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. 6. Prælati, Episcopo inferiores, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio. Paul. V. in Constit. Romanus, L. 2. tit. 26. p. 7. ibi: Los Hereges pueden ser acusados de cada uno del Pueblo delante de los Obispos, ó de los Vicarios, que tienen sus Logares.* Et *ibid. Greg. Lop. Prælati tamen Regulares, territorio carentes, non possunt de hæresi cognoscere.* In nostra Hispania privative cognoscit de hæresi, & de aliis pluribus hæresi connexis Tribunal S. Inquisitionis, cujus vigilantia debet puritas, & splendor fidei, in his regnis vigens. Utinam in toto Orbe, tam mirabile remedium adversus hæresum venena introduceretur, ut hæreses quæ Rempubliam Christianam turbant, funditus eradicarentur! Audi illustre testi-

monium pro nostræ Nationis puritate. Summus Pontifex *Clemens XI. in Bulla: Si præclara, die 12. Octobr. 1716.* Universitate Salmantina rescribens, sic ait: *Repletus, itaque sumus consolatione, & superabundavimus gaudio, cernentes, vos firmiter adeo illustribus majorum vestrorum vestigiis, ac exemplis insistere, quorum præstanti virtuti perpetuoque in hanc Sanctam Sedem studio, satis constat, magna ex parte deberi singularem illam, & planè insignem prærogativam inclyta Hispanica Nationi concessam: quod scilicet: ipsa tot sæculorum decursu ab omni hæresi labe se immunem, inviolatamque servaverit: adeoque splendidum, & gloriosum Catholicæ titulum merito adeptæ fuerit.* Quæ constitutio magno plausu à tota Schola Salmantina, cum ibidem essem, suscepta est.

94 Cum enim Episcopi, ad quos de Jure Ordinario hæc causæ pertinent, capit. 9. b. t. non sufficienter ad hæreses, quotidie pullulantes extirpandas, S. Dominicus de Guzman nostræ Hispaniæ decus, & observantissimi Ordinis Prædicatorum fundator, impetravit à S. Pontifice, ut hoc Tribunal institueretur adversus hæreticam pravitatem cum pluribus prærogativis, & privilegiis, ut videri potest apud *Cesar. Capenam de Officio S. Inquisit. Param. & alios*, & quidem in assumendis ad Inquisitorum officium requiritur vitæ probitas, prudentia plusquam mediocris, & doctrina sufficiens, vel in Theologia, vel in Jure Canonico. Hodie in nostra Hispania solum Juristæ, vel Canonistæ ad hoc officium deputantur, ut causas, & lites definiant: nam ad censurandas, & qualificandas propositiones, plures Theologi ab ipso Tribunali eliguntur, qui Qualificatores appellantur. *Machad. in Sum. lib. 4. p. 3. tr. 2. de Jure, in Gl. 2. b. t.* Item debent Inquisitores ab alio, quam à Papa electi, attigisse 40. annum: hodie non multum de ætate curatur, si alias habeant qualitates. In Commissariis Inquisitionis sufficit 30. annum attigisse. *Ex Const. Clem. VII. quæ incipit Cum sicut Azor Instit. Moral. p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 3. & 4. Molin. de Just. tr. 5. D. 28. n. 23. Machad. & alii.*

95 Jurisdictio Inquisitorum, cum ab ipsis autoritate Apostolica exerceatur, cap. 11. b. t. in 6. delegata censetur. *L. 3. ff. de Offic. Ejus cui mandat. Azor, Farin. Barbo. in cap. 17. b. t. in 6. n. 4. Castropal. & alii.* Sed in re potius est ordinaria, cum concedatur à jure per modum officii, & ad universitatem causa-

rum, & sit perpetua, ita ut non cedente vel mortuo, alius subrogetur, nec expiret delegantis morte, etiam re adhuc integra, & quoad negotia, nondum coepita. Quamvis solum usque ad beneplacitum Summi Pontificis, vel Sedis Apostolicæ concedatur: & possit aliis subdelegari, cap. 10. cap. 11. cap. 12. h. t. in 6. quæ omnia propriè ad jurisdictionem ordinariam spectant.

96 Regulares quantumvis exempti, non eximuntur ab hoc Tribunali, in Hispania tamen nequeunt Inquisitores aliquem Religiosum, nobilem, vel insignem personam apprehendere, nisi ex præscripto Supremi Senatus, missis, ad eum iudiciis, & probationibus habitis. *Alloza in Summ. V. Inquisitores, sect. 2. n. 25.* Si Episcopus, vel eo superior hæresim commisisset, vel de ea esset diffamatus, non possunt Inquisitores contra eum procedere; sed de hoc monere tenentur Romanum Pontificem, cap. 16. h. t. in 6. *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 5.* etiam si sit Episcopus titularis, vel tantum electus, & nondum sit confirmatus. *Suarez, Diana, Alloza in Summ. V. Inquisitores, sect. 1. n. 16.* nec possunt procedere contra Nuntios Apostolicos, nec unus Inquisitor contra alios. *Suar. Dian. Alloza, n. 18.* in Regnis, ubi Inquisitio non est introducta, ut in Gallia, Germania, & aliis Regnis, procedunt Episcopi in causis hæresis, & in annexis. Ubi verò Inquisitionis Tribunal est, licet solus Episcopus seorsim ab Inquisitoribus possit formare processum, vel soli Inquisitores seorsim ab Episcopo, cap. 17. h. t. in 6. tamen in ferenda sententia definitiva, vel interlocutoria vim definitivam habente, non tantum quando hæc est condemnatoria, ut in *Cl. 1. §. Porrò h. t.* Sed etiam quando est absolutoria, quia contrarium eadem est ratio: debent Inquisitores Episcopis communicare processum, & Episcopi Inquisitoribus, nec possunt hi sine Episcopo torturæ sententiam ferre, nec actu cogere ad abjuratorem. *Azor, Dian. Alloz. in Summ. V. Inquisitores, sect. 2. n. 27.* contra *Molin. & alios*, qui tenent, posse Inquisitores, vel Episcopum seorsim absolvere, quia solum eis prohibetur, seorsim condemnare. *Cl. 1. §. Porrò, h. t.*

97 Quod si discordent in sententia, consulendus est Papa, cap. 17. h. t. in 6. in Hispania ad Supremam Inquisitionem recurritur. Sed licet hæc de Jure Communi procedant, jam vi Bullarum specialium,

& præcipue consuetudinis in nostra Hispania nullus de his causis cognoscit, nisi Inquisitores, exceptis aliquibus casibus, in quibus Episcopus, vel ejus Vicarius, tamquam Inquisitor Ordinarius, cum aliis Inquisitoribus concurrat, cap. 9. h. t. quod præcipue in his partibus Indiarum locum habet, ut constat ex *Schedul. Regia ad Episcopos directa, ann. 1585. ibi: Os rogamos, y encargamos, que vos, ni vuestro Provisor, ó Fiscales, no os envolvais á conocer de lo susodicho, y que las informaciones, que tenéis, ó tuvieredes de aquí adelante, tocante al dicho delito, y crimen de la heregia, las remitais al Inquisidor, ó Inquisidores Apostólicos del distrito donde residen los tales delinquentes, para que él, ó ellos lo vean, y hagan en los tales casos justicia. Que en los casos, que conforme á Derecho, vos, ó vuestro Provisor debais ser llamados de dichos Inquisidores, ó llamarán para que asistais con ellos, como siempre se ha hecho, y se hace.* Etiam est prohibitum, quod Judices Sæculares Indiarum aliquo prætextu, se intromittant ad cognoscendum de causis in Tribunali Inquisitionis pendentibus: imò nec Regiæ Cancellariæ, etiam prætextu recursus, vel violentiæ. *L. 4. tit. 19. lib. 1. Rec. Indiar. Solorzan. de Jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 24.* Ubi etiam dicit, quod Indi sunt exempti à Tribunali Inquisitionis, etiam in causa hæresis Et in foro externo hujus delicti cognitio Episcopis reservatur: de maleficiis, tamen Indorum possunt etiam Judices Sæculares cognoscere, ut habetur. *In L. 35. tit. 1. lib. 6. R. Ind. ibi: Por estár prohibido á los Inquisidores Apostólicos el proceder contra Indios, compete su castigo á los Ordinarios Eclesiásticos; y deben ser obedecidos, y cumplidos sus mandamientos; y contra los hechiceros, que matan con hechizos, y usan de otros maleficios, procederán nuestras Justicias Reales.* Hinc satis clarè habetur cum *Alloza in Summ. V. Inquisitores, sect. 1. n. 2 Diana, p. 4. tr. 8. resolut. 1. & alii.* Quod jurisdictioni Inquisitorum non est cumulativa, sed privativa. Undè jam Episcopi saltem in Hispaniæ Regnis, non possunt de hæresi cognoscere. Item eorum jurisdictione se extendit non solum ad ea, quæ eis competunt de Jure communi, sed etiam ad ea, quæ consuetudine sunt recepta. In nostra Hispania nostri Reges sua sponte Tribunali Inquisitionis se summiserunt. *Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 24. fol. 704. Valdés, & alii.*

Prio

98 Princeps, & Magistratus Sæculares possunt hæreticos, vel de hæresi suspectos capere, & incarcerare, ut illos judici Ecclesiastico tradant, possuntque Juri Canonico coadjuvando poenas statuere, st. tutaque augere adversus hæreticos *Clar. §. Hæresis, numero 5. Farinac. de Hæres. questio 186. ex numero 157.* Et olim poterant de hoc crimine adversus Laicos cognoscere. *Lege 8. §. final. C. b. tit. Hodie nec principaliter, nec incidenter, nec quando questio facti est, possunt Judices Sæculares de hoc crimine cognoscere, etiam contra Laicos, cap. 18. h. t. in 6. Julius III. in Const. Licet. Anno 1551. Greg. XIV. in Const. Quis alias, 28. Maii 1591.* quia cum hæc causa omninò Ecclesiastica sit, & definienda ex sacris litteris, & Canonibus, non Sæcularis, sed Ecclesiastica cognoscere debet, etiam quando incidenter, & contra Laicos agitur. *cap. 2. de Judic. cap. 3. de Ordin. cognit. quia non persona causam, sed causa rapit personam. Hecht in Curia Philippica part. 3. §. 2. num. 15.* Quod si Laici aliqua statuta officium Inquisitionis impedienda faciant, sunt ipso jure irrita, posuntque ab Inquisitoribus, per censuras cogi talia statuta revocare. *Diana Alloza in Summ. V. Inquisitores sec. 1. num. 10.*

99 Magistratus Sæculares, quibus hæretici, jam condemnati, traduntur ad sententiæ executionem, sub poena excommunicationis late sententiæ, eam exequi debent absque dilatione, hoc est intra quinque, vel sex dies. Nec possunt processum, vel justitiam causæ examinare. Et si renuant brachii sæcularis auxilium præstare Inquisitoribus illud invocantibus, ad incarcerationem, vel custodiam, vel punitionem reorum, subjacent excommunicationi majori late sententiæ: imò in ipsos, tanquam hæreticorum fautores, potest procedi. *cap. 18. h. t. in 6. Alloza in Summ. V. Inquisitores, sect. 1. num. 9. Diana Castropala. Gonzalez in cap. 12. §. 1. b. t. num. 2.* Ubi addit, quod communis praxis Hispaniæ est, ut cum hæretici relaxandi sunt brachio sæculari, in eo loco, ubi sententia publice recitanda, & pronuntianda est, adsit Judex Sæcularis, cui post sententiam recitatam statim rei comburendi tradun-

Tom. II.

tur, qui illico eos ad locum supplicii adducit, & ita sententiæ executioni mandat. *Alloza in Summ. V. Inquisitores, sect. 1. num. 100. Ex Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* poterant Episcopi per se ipsos, non tamen per Vicarium, absolvere in foro conscientiæ ab hæresi occulta, suos subditos in sua Diocesi (non extra eam) atque adeò si Episcopus esset extra Diocesim, non posset ibi etiam suos subditos absolvere; nam licet absolutio sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ etiam in aliena Diocesi potest exerceri in subditos, restringitur tamen per Tridentinum ad Diocesim propriam. Papa absolvere potest per se, vel per alium delegatum, vel subdelegatum à quocumque hæresi. Etiam Inquisitores possunt ab hæresi in foro externo & interno absolvere, quæ facultas competit cuilibet Inquisitori, & non totum Consistorio, & quilibet potest facultatem delegare confessorii, etiam Inquisitori non sit Sacerdos. *Diana in Summ. V. Absolvere ab hæresi: num. 100.* Ubi non est inquisitio, ut in Gallia, vel Germania, possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati absolvere in foro externo hæreticos (dum non sint Authores novæ hæresis) ab excommunicatione Papæ reservata; debent tamen tales hæretici prius hæresim abjurare, & ipsis imponi poenitentia. *cap. 11. h. tit. in 6.* In foro interno possunt Episcopi, jure ordinario, ab hæresi absolvere eam, qui Pontificem adire non potest ob impedimentum perpetuum, vel per longum tempus duraturum. *Alloza in Summ. V. Absolvere ab hæresi: num. 101.*

Et licet Præpositus Generalis nostræ Societatis possit alibi ab hæresi, & ejus excommunicatione in foro conscientiæ absolvere, & etiam possit hanc facultatem Provincialibus, & aliis subditis communicare. *Julius III. 22. Octobris Anno 1552. Gregor. XIII. 28. Martii, Anno 1584.* in Hispania, & Italia nequeunt hæc facultate uti juxta declarationem *Clemen. VIII. 16. Novembris 1592.* Nec vi Bullæ Cruciatæ valent confessorii ab hæresi absolvere, neque tempore Jubilæi, nisi expressè à Pontifice hoc concedatur, ut declaravit *Alexander VII. die 23. Martii, Anno 1656.* quia quæ speciali nota sunt digna, ut est hæresis absolutio, non veniunt in con-

Y

ces-

essione generali c. 81. de Reg. Jur. in 6. & circa absolutionem hæresis damnavit Alex. VII. hanc propositionem, quæ est 4. *Prelati Regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscunque Seculares ab heresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurta.* Ab heresi verò merè interna, & etiam à purè materiali potest quilibet confessarius absolvere: nam solum reservatur hæresis formalis, & externa.

102 Quilibet Sacerdos potest in articulo mortis, quemcumque ab heresi absolvere: nam tunc nulla datur reservatio c. 9. c. 10. 26. q. 6. *Trid. sess. 14. cap. 7. de Sacr. Pœnit.* secus extra talem articulum, etiamsi poenitens perpetuo impedimento Papam adeundi labore: nam ad hunc casum solum Episcopis conceditur facultas absolvendi. c. 11. c. 13. de Sent. excommuni. Hæreticus in capella jam constitutus, ut ad supplicium ducaur potest absolvi à quocumque Sacerdote, quia est in articulo mortis. Etiam potest absolvi hæreticus convictus, & negativus, qui ad comburendum ducitur, si ab aliquo Sacerdote, cui confiteatur: sua peccata, absolutionem petat, & probabiliter, etiamsi adsit superior habens facultatem ad absolvendum ab heresi, quia cum sit constitutus in mortis articulo, nulla datur reservatio. Et hic casus defacto contigit Toletus paucis abhinc annis: & quamvis aliquid ducti opinione contraria, quam tenent *Sanch. & alii* intendebant, talem reum, non esse absolvendum, saltem ratione scandali, nihilominus quidam Sacerdos pia opinione ductus, quam tenent *Portel. Mend. Diana in Sum. V. Absolvere ab heresi, n. 108. & alii*, ejus confessionem audivit, & pro tali facto defendendo quamdam satis doctam apologiam conscripsit.

103 Hæresis materialis non subjacet censuris, & aliis poenis in hæreticos latis, nam cum præcipue hæresis infligatur ratione contumaciæ, quæ deest in heresi materiali, non debent poenæ ad talem hæresim extendi: imò hæc à quocumque confessario approbato potest absolvi. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 8. n. 3.* Sic in Germania rustici, qui Lutheri, vel Calvinii Sectam profitentur, si ex ignorantia hoc faciunt, possunt à suis Parochiis absolvi, & ad professionem fidei admitti. In nostra Hispania, etiam tales hæretici materiales, qui aliquam Sectam hæreticorum profitentur, debent Inquisitioni præsentari. Nec hæresis purè interna, &

mentales, nullis verbis, vel signis expressa, comprehenditur sub his poenis: nam Ecclesia de actu occulto, & pure interno non judicat. c. 33. de Simon. Hæresis verò formalis, & externa quamvis occultissima sit, si tamen signo externo est expressa sub his poenis comprehenditur. Debèt tamen actus externus poni, vel omitti animo hæresim profitendi: nam si alio animo fiat, non erit propriè hæresis. Et ut censura incuratur est necessarium, ut actio externa ex se, & non præcisè, prout subest actui interno, sit mortaliter peccaminosa. Hinc non incurrit excommunicationem, qui animo instructionem ab alio capiendi, c. 1. hæresim purè internam manifestat, nec qui animo narrandi tantum, non verò profitendi, profert hæresim. E contra hæreticus externus, & punibilis est, qui non audit sacrum, nec communionem suscipit ob hæresim internam: quia tales omissiones externæ, & peccaminosæ in illis circumstantiis habentur pro hæresis professione aliud est, quando non animo hæresim profitendi, sed ex oblivione, vel alio fine proveniunt. *Suar. de Fide, D. 12. sect. 2. ex n. 9. Navarr. Man. cap. 27. n. 56. Barb. in c. 12. h. t.*

104 Poenæ ergo, quæ in hæreticos formales externos infliguntur sunt. 1. excommunicatio major ipso jure. c. 49. de Sent. excommunic. c. 7. c. 9. c. 15. c. 15. h. t. & *Papa in Bull. Cœna casu 1.* reservata. 2. Hæretici fiunt irregulares, ac proinde etiam ab heresi absoluti, nec ordines suscipere, nec in susceptis ministrare possunt. c. 21. q. 7. c. 15. h. t. in 6. Si hæresis sit notoria solus Papa in tali irregularitate dispensat, ut talis ad ordines promoveatur. Ut verò quis in susceptis ordinibus ministret, dispensat Episcopus: nam cum hæc dispensatio non reservetur in jure Pontifici, Episcopo videtur concessa. c. 21. 1. q. 7. Cum Episcopis, & Sacerdotibus, ut possint Missam celebrare, & Pontificalibus uti, solus Papa dispensat. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 25. ex n. 13.* in tali irregularitate provenient ex heresi occulta, potest Episcopus dispensare, ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* nam licet non possit ab ea absolvere per Bullam Cœnæ, quia est ablata hæc potestas, non tamen est sublata facultas dispensandi, quia cum sint diversæ ab eis non fit illatio. *Farin. Prax. q. 192. n. 79. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 25. n. 16. & alii.* Imò irregularitatem non incurrit, nec alias inhabilitates,

tes, quando hæresis est occulta; arg. cap. 9. h. t. tenent *Avila de Censur. p. 7. D. 4. dub. 2. Henric. Sayro, Ermm. Sâ. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12.* Contrarium tamen, scilicet, etiam ob hæresim occultam incurri irregularitatem, tenent *Sylv. Azor, p. 1. L. 8. c. 11. q. 3. & c. 21. q. 8. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 25. n. 4. & alii*, qui judicant hoc probabilius, & juri conformius esse. 3. Hæretici habent inhabilitatem ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica, aliaque officia publica obtinenda, & collatio ipsis facta esset ipso jure irrita, cap. 2. cap. 15. h. t. in 6.

105 Quarto privantur Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis, si quæ habebant, antequam in hæresim laberentur, cap. 9. h. t. cap. 12. eod. in 6. & quidem ipso jure, ut ex cap. 9. h. t. deducitur, & clarius ex *Const. Nicol. II.* quæ incipit: *Novit universitas.* Sicque in Curia Romana praticatur. Ut tamen hæreticus teneatur beneficia dimittere, debet præcedere sententia declaratoria criminis; imò, & executio, per Judicem facta, quæ sententia ad tempus commissi criminis retrahitur, ac proinde ex tunc fructus restituere debet reus. *Suar. de Fide, D. 21. sect. 5. Barbos. in cap. 9. h. t. Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 26. ex n. 6. & alii contra Castro de Heret. punit. L. 2. cap. 4. Vazq. L. 2. D. 172. c. 2. n. 11. & alios.* Suspecti tamen de heresi non privantur ipso jure beneficiis, sed juxta qualitatem criminis per Judicem privantur. Imò si hæreticus, antequam de heresi vincatur, & ut talis declaretur, sua sponte ad fidem redeat, ex æquitate debet à Pontifice in beneficio relinqui, vel debet ei restitui amissum. *Barbos. in c. 9. h. t. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 26. n. 13. & 14.* Denique privantur ipso jure sepultura Ecclesiastica, cap. 8. h. t. cap. 2. eod. in 6. Et qui tales sepeliunt, sciendo, esse hæreticos, si non metu coacti, sed favore hæresis sepeliunt, fiunt de heresi suspecti, vel leviter, vel graviter, juxta personarum qualitatem, & in eos potest Inquisitio procedere. Insuper excommunicationem prædicti incurrunr, à qua non possunt absolvi, nisi præstata satisfactio, scilicet, exhumando cadaver, cap. 2. h. t. in 6. quo exhumato, vel ab ipso, qui illud sepelivit, vel ab alio, possunt hi excommunicati absolvi, quia jam est posita conditio. Clerici sepelientes hæreticos, vel eorum fautores, &c. privantur suo officio, ad quod non nisi per R. Pontificem restituantur, cap. 13. §. *Credentes, h. t.* Qui alii

quem sepelit ignorans, illum esse hæreticum, vel metu coactus, vel non ratione, nec favore hæresis, sed ob amicitiam, vel consanguinitatem, vel ne aër putredine corrumpatur, dum tamen fiat in loco non sacro, non incurrit excommunicationem; arg. cap. 2. h. t. in 6.

106 Descendentes hæreticorum usque ad secundam lineam paternam, & ad primam maternam, si nati sint postquam parentes in hæresim notoriam sunt lapsi, & ante mortem Ecclesie reincorporati non fuerunt, fiunt irregulares, inhabilesque ad beneficia deinceps obtinenda, cap. 15. h. t. in 6. Si verò hæresis parentum est occulta, non fiunt irregulares, nec eam incurrit filii nati, antequam parentes in hæresim laberentur, ne poenæ delinquentium ad innocentes extendantur. *Abb. in cap. 10. h. t. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28. ex n. 28. Filiis, & nepotibus hæreticorum remittitur irregularitas, hoc ipso quod parentes reconcilientur. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 27. n. 21. Molin. de Just. tr. 2. D. 658. n. 19.* Si verò parentes sint hæretici relapsi, etiamsi ad poenitentiam, & Sacramenta admittantur, non habentur pro reincorporatis, seu reconciliatis; arg. cap. 4. h. t. in 6. ac proinde eorum filii beneficiis privantur, & ad alia obtinenda inhabiles sunt; arg. cap. 15. h. t. in 6. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 27. n. 23.* contra aliquos. Sed cum radix hujus irregularitatis sit infamia, quam hæretici incurrunr, & hæc cesset in Germania, alisque Provinciis Septentrionalibus dicendum consequenter est, hanc irregularitatem ibi cessare, tam respectu parentum hæreticorum, quam descendendum ab ipsis. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 27. n. 28.*

107 Hæc poenæ non solum hæreticos, sed etiam eorum credentes, fautores, defensores, & receptores comprehendunt. *Nav. Man. cap. 27. n. 55. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 10. Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. n. 6.* Credentes hæreticorum dicuntur, qui verbis, vel factis credunt, quod hæretici credunt, licet nesciant eorum errores in particulari: vel qui eorum doctrinam audiunt animo assentiendi illorum erroribus, sufficienter habere talem animum, saltem sub conditione assentiendi eorum erroribus, si ipsis motiva, & rationes hæreticorum placuerint. Si verò aliquid in particulari contra fidem credat, non credentes hæreticorum, sed hæretici formales erunt, fautores sunt qui hæreticis ratione hære-

sis favorem præstant, quod fit. 1. commissione, eos scilicet laudando, vel affirmando, esse viros probos, injustèque condemnari, vel eos in domo occultando, vel auxilium ad fugam eis præbendo, vel alia faciendo, ne ab Inquisitoribus capiuntur. Etiam possunt esse fautores omissione; si non capiunt hæreticos, vel captos non custodiunt hi, qui ad hoc ex officio tenentur. Defensores sunt, qui errores, vel personas hæreticorum defendunt, laudant, vel protegunt in iudicio, vel extra: vel impediunt vi, vel dolo, ne capiuntur, vel captum liberant, & hoc ratione hæresis. Receptores sunt, qui recipiunt etiam unica vice hæreticos, qua tales, & fugientibus hospitium præstant, ne à Iudice capiuntur, c. 8. h. t. Qui verò hæreticos recipiunt, defendunt, vel ipsis favent, non causa hæresis, sed ob aliam causam; v. g. quia consanguinei, amici, &c. vel metu compulsi, vel quia ignorant, eos hæreticos esse, nullam poenam incurunt. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 10. Azor, p. 1. lib. 8. cap. 15.*

108 Præter dictas poenas sunt alia temporalia, tum à Jure Canonico, tum à Jure Civili in hæreticos statuta. 1. est poena infamiae, qua quidem incurritur ipso jure, cap. 13. §. 5. h. t. requiritur tamen sententia criminis declaratoria, ut actu delinquentes afficiat. *Barb. in cap. 13. h. t. ac proinde privantur privilegiis, quibus gaudebant, quando erant Catholici, nec possunt aliqua officia publica exercere, & ab honoribus, & dignitatibus repelluntur. L. 1. C. h. t. L. 4. tit. 26. p. 7. Sed cum hæc infamiae poena solum sit expresse statuta contra hæreticos, non debet ad eorum descendentes extendi, ut tenent *Suar. de Censur. D. 48. sect. 3. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28. contra Cov. Cast. Peña, Molin. de Just. tr. 2. D. 65. n. 25. Farinac. & alios. 2. Hæretici (secus fautores, defensores, & receptores) à die commissi criminis, ante omnem sententiam, patria potestate in liberos privantur, cap. 2. §. fin. h. t. in 6. ac proinde filii eorum Catholici non debent eis præbere alimenta, nisi in extrema necessitate, sicut quilibet extraneus. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 24. n. 7. 3. Hæretici amittunt servos, non ipso jure, sed per sententiam declaratoriam criminis; arg. C. fin. h. t. & quidem si servi sint Catholici, fiunt liberi, si sint hæretici, fisco cum aliis bonis adduntur. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 24. n. 10. Molin. tr. 2. D. 40. Similiter vassalli, famuli, & li-****

berti liberantur ab obsequio hæreticis præstando, cap. fin. h. t. etiam debitores à quocumque debito, & obligatione liberantur, etiam juramento firmatis, tenenturque fisco talia debita solvere, maxime post sententiam. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 24. n. 8.*

109 Quarto confiscantur omnia bona, tam mobilia, quam immobilia, jura, & actiones, quæ erant propria hæretici tempore, quo delictum commissit, adeo ut nec Catholicis filiis eorum aliquid stricto jure relinquatur: ex æquitate tamen aliqua bona eis possunt relinquere, & inquisitio ex misericordia, aliquid pro filiis, & filiabus, & præcipue infirmis alendis tribuit; imò, & ipsi hæretico si respiscat, possunt bona reddi, ubi hæc consuetudo viget, cap. 10. cap. 18. h. t. L. 4. & *Auth. Gazarus. C. Eod. Gregor. Lop. in L. 7. tit. 7. p. 6. V. Tornassen. Gonz. in c. 10. h. t. n. 3. Caren. p. 2. de Offic. Inquis. De Jure Hispano antiquo filii Catholici hæreticorum suis parentibus succedebant. L. 2. tit. 26. p. 7. L. 7. tit. 7. p. 6. Sed hoc hodie non procedit, ut notat *Greg. Lop. ibid. V. Catholicos. Aceved. in L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C. ubi praxim, & plures Doctores allegat, etiam Regnicolas, contra alios contrarium tenentes. Et etiamsi post mortem sint de hæresi convicti, eorum bona confiscantur. Et licet hæreticus non amittat dominium, & administrationem suorum bonorum ante sententiam criminis declaratoriam, ac per consequens, non teneatur ante sententiam, ea fisco tradere, quia hoc esset minus grave; arg. cap. 19. h. t. in 6. & tenent *Nav. in Man. cap. 23. n. 66. Suar. de Fid. D. 22. sect. 3. n. 3. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 22. n. 7. contra Castro de Just. Hæret. punit. L. 2. c. 5. & 6. post sententiam tamen retrahitur confiscatio à die delicti commissi, ac proinde bona interim alienata, simul cum fructibus, perceptis debent fisco restitui. c. 8. §. 7. h. t. in 6. Allos, in Sum. V. Inquisitores, sect. 3. n. 6. Vazq. & Dian. rescisis videlicet contractibus, & alienationibus interim factis ab hæretico; nisi forte fuissent, factæ ad alendum se, suamque familiam, debita solvenda, &c. vel nisi bona fisco addicta contra ipsum sint præscripta, & quidem in hæresi criminis 40. anni requiruntur, ut possessor bona defuncti adversus fisco præscribat, cap. 2. de Præscript. in 6. non tamen censentur confiscata bona, quæ hæreticus post sententiam criminis declaratoriam, etiam ante***

ab-

abjuracionem, & reconciliationem cum Ecclesia adquisivit, quia sententia ad futura non extenditur.

110 Dos, & alia bona propria uxoris, uti sunt paraphernalia, donata, propter nuptias, acquisita durante matrimonio, quorum medietas ad uxorem spectat, ipsi donata etiam à consanguineis mariti, & etiam causa mortis ei donata, manent apud ipsam: nam in hoc casu morte civili mariti, donatio confirmatur. *L. 13. §. 1. ff. de Donat. inter. imò hæc bona, confiscatis bonis mariti, uxor propria autoritate capere potest: non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum, & innocens ob alterius delictum puniatur, cum delicta suos debeant tenere Authores. *L. 22. C. de Penis. Si uxor tempore, quo contraxit, sciebat maritum esse hæreticum, dote privatur, c. 12. h. t. in 6. sed post Judicis sententiam. *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 17. n. 18. præsumitur tamen ignorasse, virum esse hæreticum, nisi probetur, quæ probatio fisco incumbit. Sed hæc constitutio, quæ expresse de dote uxoris loquitur, non extenditur, utpotè penalis ad alia uxoris bona, ut contra *Farinac. q. 190. n. 49. & 50. tenent *Barbos. in cap. 14. h. t. n. 3. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 17. n. 22. neque ad maritum, qui scienter cum uxore hæretica contraxit, nec dispositum de uxore creditur hic de marito, ut ejus correlative dispositum; quia diversa ratio militat in uxore, ac in marito: nam uxor magis subjecta est marito, ac proinde majus habet perversionis periculum. *Barbos. in cap. 14. n. 6. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 17. n. 23. Si pater incidit in hæresim, solum confiscatur peculium profectitium quod quidem est patris, quoad proprietatem, & usumfructum, secus peculium castrense, vel quasi castrense, quæ plene sunt filii: imò nec peculium adventitium; quia soluta patria potestate propter hæresim, ususfructus, qui ad patrem pertinet consolidatur cum proprietate, ac proinde plene est filii, sicut peculium castrense. Si filius in hæresim incidit, confiscantur peculium castrense, & quasi castrense, quia plene pertinent ad filium, imò & adventitium quoad proprietatem, quæ quidem est filii: ususfructus vero patri, ad quem antecederet pertinebat, reservatur. Sicut patri reservatur peculium profectitium, quoad proprietatem, & usumfructum; siquidem ad ipsum, quoad utrumque perfinet. Latè de hoc *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 15. & 16. &*******

alii. Si bona confiscata habeant annexum jus patronatus, hoc transit cum bonis ad fisco: si verò patronatus adhaereat personæ, transit ad sequentes vocatos, non tamen ad hæreses extraneos, sed eo casu, fisco Ecclesiastico acquiretur: si tamen ille patronatus sit personalis: qui ad alios non est transiturus, per confiscationem extinguitur, Ecclesiæque manet libera. *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 19. ex n. 2. Quando alicujus bona confiscantur non comprehenditur ibi majoratus, quo hæreticus fruitur: nam cum ejus dominium non possit alienari, ita disponente, & prohibente primo fundatore, debet ad sequentem vocatum trasferri: nec tunc commoditas fructuum separatur à rei dominio, & proprietate. *L. 35. §. 1. ff. de Reivind. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 18. n. 15. Molina de Just. tr. 2. D. 658. Gonz. in cap. 10. h. t. n. 11.**

111 Bona Clericorum patrimonialia, vel quasi, utpotè accessoria personæ applicantur fisco, nisi aliud habeat consuetudo. *Barb. in cap. 13. h. t. Castrop. tr. 4. D. 5. p. 14. Covar. Var. L. 2. cap. 9. Bona ratione, & intuitu beneficii Ecclesiastici acquisita, non fisco, sed Ecclesiæ cui servierunt applicantur, cap. 13. §. 1. h. t. nam post Clericorum mortem ad eam pertinent. Bona, quæ ad Ecclesiam pertinent ut domus, prædia, &c. quarum redditus Clerici percipiunt, non confiscari sub poena excommunicationis ipso jure prohibetur in *Cl. 2. h. t. Bona Laicorum in terris Ecclesiæ, fisco Ecclesiastico addicuntur, in aliis Regnis fisco seculari, cap. 10. h. t. Si immobilia sint, applicantur fisco domini loci, ubi sunt sita: mobilia tamen cum personæ damnatæ adhaereant ad fisco loci, ubi fit confiscatio pertinent. *Sanch. in Decal. l. 2. c. 20. n. 34. Farinac. & allii in nostra Hispania bona hæreticorum applicantur fisco Regio. L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C. ibi: Y este tal, despues que por el Juez Ecclesiastico fuere condenado por herege, pierda todos sus bienes, y sean para la nuestra Cámara. Sed talia bona per Reges applicantur Officio Inquisitionis, ut exsolvantur salaria Officialium Inquisitionis. *Simanc. de Inst. Catholic. tit. 9. n. 131. Covarr. Dian. Bobad. L. 2. Polit. cap. 17. num. 201. Aceved. in L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C. ex n. 221. Et in quolibet Tribunali creatur à Rege, quidam Judex, qui cognoscat de illis bonis adjudicandis, & de litibus eorum occasione moris. *Gonz. in cap. 13. §. 1. h. t. in fin. 5. Hæretici fiunt intestabiles, tam*****

ac-

active, quam passive: ac proinde nec ex testamento, nec ab intestato aliquid capere possunt, nec hæreditatis titulo, legati, fideicommissi, &c. *cap. 13. §. Crederentes, h. t. l. 5. C. h. t. ac proinde hæreditas ab hæretico obventa debet ab ipso restitui venientibus ab intestato: poterit tamen probabiliter eam retinere, donec per sententiam criminis declaratoriam ipsi auferatur. Sanb. in Decal. l. 2. cap. 14. num. 31. Et qui hæreticum in testamento instituit, si non sit ex causa pietatis, vel alimentorum, excommunicationem incurrit, *cap. 5. & 6. h. t. Quæ decisiones, etiam loquantur de Episcopis, & Clericis, etiam extenduntur ad Laicos, qui hæreticos institunt hæredes. Sanb. in Decal. l. 2. cap. 14. n. 41. De bonis acquisitis post sententiam criminis declaratoriam liberè testatur hæreticus: quia hæc non confiscantur. De bonis verò, quæ habebat ante sententiam, nequit testari post latam sententiam, & si testetur nullum est testamentum: quia de re non sua, sed fisci disponit. Si verò testetur, vel aliter contrahat, ante sententiam latam, valide contrahit, & testatur: tale verò testamentum, vel contractus revocabitur; *arg. cap. 13. §. Crederentes, h. t. Molin. tr. 2. D. 95. Sanb. in Decal. l. 2. cap. 24. num. 3. Hæreticus de Jure Hispano antiquo poterat testari inter Catholicos. l. 4. tit. 26. p. 7. quod jam non debet servari, ut notat Greg. Lop. ibid.***

112 Ultima denique hæreticorum poena est ultimum supplicium. Cum enim hoc crimen gravissimum sit, magnasque causet perturbaciones, & clades in Regnis, atque Provinciis, nullum aliud remedium ad illud comprimendum restat, quam morte recidere, tot malorum Auctores. Postquam ergo hæretici convicti sunt, & in sua pertinacia perseverant, brachio sæculari traduntur, præmissa degradatione, si Clerici fuerint, *cap. 9. c. 15. h. t. cap. 1. eod. in 6. l. 2. tit. 26. p. 7. ibi: Et si por aventura non se quisieren quitar de su posia, debenlos judgar por Hereges, é darlos despues á los Jueces Seglares, é ellos debenles dar pena en esta manera; que si fuere Herege predicador, á que dicen consolador, debenlo quemar en fuego, de manera que muera. Si impenitentes persistant, vivi comburantur. Si sunt relapsi, & poeniteant, Sacramentum poenitentia illis ministratur: quia Ecclesia nemini quoad spiritalium salutem, gremium claudit. Clem. 1. de Poenit. & remis. & licet ultimo sup-*

plio damnatis regulariter Eucharistia concedatur, tamen jam generali consuetudine Inquisitionum Hispaniæ receptum est, ut his relapsis Sacramentum Eucharistia non ministraretur. *Gonzal. in cap. 9. h. t. n. 6. in fin. Accv. in l. 3. tit. 5. lib. 8. R. C. n. 28. Cantera, & alii, quævis attento Jure Communi, in cap. 4. h. t. in 6. Si poenitentia signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt (humiliter petita) Sacramenta poenitentia, & Eucharistia deneganda. Et quamvis tali conversione poenam mortis non vitent, saltem ipsis mitigarur: si quidem non vivi comburantur, sed prius stragulantur, & postea flammis comburendi addicuntur. Si tamen non sint relapsi, sed tantum semel convicti, & poeniteant, non afficiuntur poena capitali, sine disponente Ecclesia ex benignitate, sed tantum poena exilii, vel tristemur per triennium, vel alia simili puniuntur. *Farinac. q. 189. & 193. In Germania, aliisque Regionibus Septentrionalibus; hæc poenæ vix locum habent. Nam ibi ob hæreticorum potentiam, & multitudinem. Cedit viribus æquum, victaque pugnaci jura subesse jacent.**

113 Hæretici possunt, & debent cogi ab Ecclesia, ad suos errores abjurandos, *cap. 13. §. 7. h. t. quia cum sint baptizati, subjecti sunt Ecclesiæ, cap. 8. de Divortii. Trid. sess. 14. de Poenit. cap. 2. potestque Pontifex, ut Supremus Pastor per Principes Sæculares, armis cogere hæreticos, etiam tali Principi non subjectos, ad veram Religionem, hæresim abjurata redire. Ipsique Principes Catholicis ad hoc tenentur respectu suorum vasallorum, qui hæresim sequuntur, illosque possunt ob hæresim debellare; nec enim eos in suis Regnis possunt tolerare, multoque minus permittere suæ sectæ liberum exercitium, cum hoc maximum Populo scandalum, gravissimumque perversionis periculum afferre possit, *c. 9. c. 13. §. 3. h. t. c. 11. eod. in 6. l. 2. & Auth. Cazar. C. eod. nisi obstat pax publica, vel securitas ipsis promissa: nam & Hæreticis fides, etiam à Catholicis, servanda est. Licet enim non facile cum hæreticis sit paciscendum, pacta tamen invita, si de re licita, & possibili sint, servanda sunt, *cap. 1. & 3. de Pact. l. 1. ff. eod. ad hoc enim obligant veracitas, fidelitas, & justitia. Regulariter non licet Principi Catholico inire foedus cum hæreticis, vel eis auxilium præbendo, vel in auxilium eos vocando, etiam in bello justo, præ-***

cipue adversus alios Catholicos. Nam ex tali foedere regulariter resultat damnum, saltem indirectè, Ecclesiæ, & Religioni, ob implacabile eorum adversus nostram Religionem odium. Ideò sæpè in Scriptura, & Pontificibus tale foedus prohibetur. Si verò tale periculum cesset, cum hoc non sit intrinsecè malum, quia bellum est justum, & non fit contra Religionem, nec damnum resultat Ecclesiæ, ut supponitur: potest Princeps Catholicus foedus cum hereticis inire; maxime si ex eo aliquod commodum Ecclesiæ, vel Religioni sequatur, vel majus malum avertatur.

14 Hic etiam oportet addere Theologicas Censuras, quibus à Summis Pontificibus, & Tribunali S. Inquisitionis aliquæ propositiones non sanæ doctrinæ, notantur: de quo latius. *Suar. de Fide, D. 19. sect. 2. Gutierr. Hurt. in Explic. proposit. damnat. in proem. Marin de Fide. Cordub. lib. 1. q. 17. Can. de Locis, lib. 12. c. 10. Peña, Simancas, & alii.*

1 Propositio Hæretica est, quæ immediatè opponitur contradictoriè, vel contrariè propositioni de fide, seu veritati à Deo revelatæ: etiam si proferatur absque pertinacia. Propositio quidem revelata, ac proinde de fide est quæcumque veritas in veteri, vel novo Testamento invenitur expressa: non solum si pertineat ad præcipuos articulos, ut Dei unitas, vel incarnatio Verbi: sed etiam si obiter enuntietur, ut Canis Tobie existentia. Item quæ est definita à Pontifice, tanquam de fide, vel in, vel etiam extra Concilium Generale: & etiam, quæ communi Ecclesiæ usu est tanquam Apostolica traditio recepta.

2 Hæresi proxima dicitur, quæ est contradictoria illi, quæ vel à plerisque habetur tanquam de fide, vel infertur per evidentem consequentiam ex una de fide, & altera indubitata.

3 Sapiens hæresim est illa, cujus contradictoria non est expresse definita: in Ecclesia tamen communiter recipitur, tanquam si esset de fide: adeò, ut præbeat indicium saltem probabile judicandi, quod hæresis lateat in illius defensore. Et propositio, cui opponitur, sapere fidem dicitur sicut hæc: *Maria Virgo assumpta est cum corpore in Cælum: Quadragesima est abstinendum ab usu carniū. Utraque enim sapit fidem, cum ex communi usu Ecclesiæ, ut Catholica sit admissa, licet non sit de fide: quippe non communi consensui fidelium, sed soli-*

Petro, ejusque successoribus est concessa facultas definiendi controversias in materia fidei. Item hæc propositio: *Ridiculum est, Eucharistia Sacramentum solemniter rite per vias publicas circumferre*, sapit hæresim Luteranorum, qui negant in Eucharistia verum Corpus Christi contineri.

4 Erronea est contradictoria conclusioni Theologiæ omninò veræ, si vè deducta ex una præmissa de fide, & altera evidente. Sic est Theologica hæc conclusio: *Christus est risibilis*: quippe sequitur ex his præmissis *Omnis homo est risibilis*, quæ est lumine naturæ nota: *Et Christus est homo*: quæ est de fide. Conclusio tamen, cum debiliorem partem sequatur, non est de fide: ac proinde hæc propositio: *Christus non est risibilis* non hæretica sed erronea, vel error in fide meritò nuncupatur.

5 Errori proxima est contradictoria conclusionis, quæ non ab omnibus, sed à plerisque tanquam Theologica habetur. Talis est conclusio deducta ex una præmissa certè de fide, & ex altera evidenti: sed quæ non ab omnibus, ut evidens admittitur. Vel si deducatur ex una præmissa certè evidenti, & ex altera de fide: sed quæ non ab omnibus, ut de fide habetur.

6 Malè sonans est quæ abutitur vocibus contra communem sensum fidei. Ut si sensus obvius sit hæreticus, præcipue attentis circumstantiis personæ, loci, & temporis, quamvis sensus latens sit Catholicus. Sic malè sonat, *quod in Divinis Pater sit major filio: quod Christus est creatura, & quod orat pro nobis: quod Christus quotidie peccat*. Quamvis hujusmodi propositiones, sub certis limitationibus, sint veræ. Ut quod *Pater est major filio, homine; seu ut homo est. Quod Christus, ut homo est creatura, & orat pro nobis. Quod Christus mysticus, qui est Ecclesia vel Corpus Christi mysticum, quotidie peccat in aliquo membro, seu persona ejus*. Si tamen sensus hæreticus non sit usu receptus, non est propositio adeò rigidè notanda. Huc reducitur propositio *equivoca*, quæ scilicet, sensum Catholicum, & Hæreticum potest habere. Hæc duplex contradictoria: *Deus facit malum, Deus non facit malum*. Condemnatur à Divo Augustino, quamvis utraque in Sacra Scriptura contineatur. Debet ergo dici: *Deus physicè causat malum, nevisquam tamen moralitèr*.

7 Suspecta de hæresi est quæ videtur la-

latentem hæresim continere, & suspicionem generat apud viros bonos, atque sapientes. Ita suspectum de hæresi est dicere: *Quod non est curandum de ceremoniis exterioribus, quia vergunt ad Judæismum.*

8. *Impia* dicitur, quæ est contra cultum Deo, & Sanctis debitum: vel quæ opponitur operibus misericordiæ erga miserios, vel pietati erga parentes, vel Rempublicam. Propositio pia est, quæ licet non sit revelata, nec Theologica, fovet tamen Religionem, fidem charitatem, & devotionem. Ut quod *Mater Dei viderit Essentiam Divinam in hac vita: Quod Angeli Custodes, & Sancti, quibus specialiter devoti fuimus in vita, in mortis periculo nobis specialiter assistant.*

9. *Plurium aurium offensiva* est, quæ in materia Religiosis aliquid falsum, vel indecorum, & indecens, quamvis falsum non sit, enuntiat: Ut si quis loquendo de S. Maria Magdalena dicat, *hodie est festum meretricis: vel quod Ecclesia Romana est Synagoga Satana.*

10. *Temeraria* est quæ in materia supernaturali, & Theologica sine rationis, vel autoritatis regula profertur. Temeraria *negativa* est, quæ nullam rationem, vel autoritatem habet, neque pro se, neque contra se. V. g. *quod iste, vel ille est præcitus, vel prædestinatus salvus, vel condemnatus. Vel quod illa Hostia Altaris non est consecrata.* Sicut in Philosophicis temerè assertitur, quod *Astra sint paria. Positivè temeraria* est, quæ pro se nullam habet rationem gravem, & contra se habet rationes firmissimas: Ut dicere cum Erasmo contra omnes T. T. Scholasticos, quod *Christus, ut homo non fuit beatus in anima, neque habuit semper visionem claram sue Divinitatis ab instanti sue Conceptionis. Item, quod plorantes sua peccata sunt proprietarii sue voluntatis.* Vel quod *jejunium sit impertinens perfectioni Christiana.*

11. *Scandalosa* propriè dicitur, quæ in materia doctrinæ ad fidem pertinentis occasionem errandi, vel malè sentiendi præbet fidelibus. Ut si quis absolutè dicat, *Imagines non esse adorandas.* Sed latius pro scandalosa propositione intelligitur illa, quæ occasionem ruinæ, seu peccati in materia cujuslibet virtutis præbet. Et etiam dicitur *perniciosa in praxi*, ut patet in propositionibus damnatis ab Alex. VII. & Innoc. XI. Huc reductur *periculosa*, quæ scilicet, præbet occasionem periculi in materia fidei, aut mo-

rum. Ut quod *sine jeuniis, & poenitentis exterioribus homo potest esse perfectus.* Vel quod *non est curandum pugnare contra tentationes, aut malas cogitationes.* Vel quod *actus exteriores virtutum, & aliarum Sanctarum ceremoniarum non sunt necessarii, neque expedientes ad perfectionem, sed potius sunt actus imperfectiorum.*

12. *Blasphema* est, quæ continet injuriam contra Deum, vel Sanctos. Sic blasphemum est dicere *Sanctos non esse colendos, nec orandos, nec posse juvare suos devotos.* Vel quod *aque fidendum est orationi cujuslibet peccatoris viventis, sicut orationi Sancti, aut B. Virginis jam in Cælo regnantis,* ut blasphemat Lutherus. Vel dicere: *Deum esse injustum, vel excedere in punitione, seu reprobatione, aliquorum:* & alia hujusmodi, quæ aliquando blasphemæ hæreticales, aliquando non hæreticales nuncupantur, prout alibi dicimus.

13. *Schismatica* est, quæ nata est inducere, vel promovere separationem membrorum à capite, in quo schisma consistit, quatenus videlicet, rebellionem adversus Ecclesiam, illiusque caput, suscitatur, aut fovet, sive admisceat hæresim, sive non: ut hæc propositio. *Papa non est legitimus superior.*

14. *Seditiosa* est, quæ seminat zizaniam, & discordiam, ita ut nata sit concitare tumultum in Ecclesia, vel Republica. Ut hæc: *Quilibet potest sibi justitiam facere.* Vel quod *subditi possunt suos superiores publicè delinquentes licetè punire, eosque abjicere.* Vel quod *eis non tenentur obedire.*

15. *Maledica, seu injuriosa* est, quæ proximi injuriam continet. Ut quod *Papa est Anti-Christus, & Cardinales sunt ejus Ministri.* Vel quod *Clerici, & Religiosi sunt cavendi ab his, qui sunt in articulo mortis.*

16. *Laxa* est, quæ favet libertati, estque licentiosa.

17. *Levis*, quæ levi nititur fundamento.

18. *Improbabilis* est, quæ nititur fundamento simpliciter indigno, ut illi præbeatur assensus: eritque *improbabilis positivè*, si contra se habeat motivum certum, & ipsa sit certò falsa: Et tales sunt omnes propositiones à Pontificibus damnatae. Erit tamen *negativè* *improbabilis*, si pro se nullum habeat motivum grave, etsi contra se non habeat motivum certum, nec ipsa sit certò falsa. V. g. si quis nunc dicat: *Turca dormit.*

Quan-

115. Quando In Decretis Pontificiis, vel Inquisitionis hæ censuræ apponuntur, ita debent intelligi, ut cuilibet propositioni sua correspondeat censura: & idè additur dictio *respectivè*, quamvis multoties accidat, quod eadem propositio pluribus sit digna censuris: V. g. hæc propositio. *Religiosi in Religionibus approbatis viventes non sunt de Religione Christiana.* Hæc namque propositio 1. est *hæretica*: quippe est contra Sedis Apostolicæ definitionem: 2. est *scandalosa*, quia Sæcularibus dat occasionem malè sentiendi de Religionibus, & de Religiosis, & etiam ut à perfectionis statu avertantur: 3. est *impia*: quia removel Sæculares à pietate erga Religiosos: 4. est *injuriosa, & maledica* statui Religioso: siquidem intolerabilem injuriam Religiosis facit. Et deniquè est *temeraria*: quippe nullo nititur fundamento: quiniò Sanctorum Patrum autoritati opponitur. Idem constat ex aliis propositionibus à Pontificibus damnatis, quæ sæpè solent plures amplecti censuras: quin & eadem propositio à diversis diversa censura notatur, quia non omnes eodem modo eandem definiunt censuram, & insuper una censura pluries cum alia coincidit, ut patet in censuris de suspecta de hæresi, sapienti hæresim, erronea, & hæresi proxima, & aliis, ut videri potest apud *Suar. Cordub. & Canum. Præterea Innoc. XI. die 2. Martii, ann. 1669.* ut ab injuriosis conventionibus, Doctores, & Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstinerent, & ut paci, & charitati consulatur, in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos, hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita super eisdem propositionibus judicium proferatur. Et quidem solum prohibetur censura formalis, non tamen, si dicatur aliquid, ex quo censura inferri possit per quandam contradictoriam; aliàs nullus posset dicere, suam sententiam ex scriptura probari: nam hoc esset dicere contradictorium, esse hæreticam. Sed quia ipse hoc non dicit, nec adversarii id concedunt, non intelligitur talem appingere censuram. Nec etiam est censura, si quis aliquam sententiam appellet improbabilem, vel levem, vel laxam, saltem in

Tom. II.

communiori sensu. *Hurt. Lug. & Card.* & non solum circa propositionem directam potest quis errare, sed etiam circa illius censuram; v. g. si dicat erroneam, scandalosam, vel temerariam propositionem, quæ est de fide, vel à Doctoribus recepta, errorem quidem committit, vel hæresim sapit, vel temerarius existit, ac si negaret defecto propositionem: quia eam negat virtualiter, & insuper eam tali censura inurit.

116. Deniquè quia ad hunc præcipuè Titulum spectant causæ, & delicta, de quibus Inquisitores cognoscunt, libuit pro nostra Hispaniæ praxi, referre ad litteram Edictum Generale Inquisitionis Hispaniæ: quod ita est:::

COMPENDIO Y SUMARIO del Edicto general de la Fe, y casos en él contenidos.

NOS los Inquisidores, contra la Hæretica pravèdada y Apostasia, por autoridad Apostòlica: A todos los Fieles de este nuestro distrito, sin excepcion, &c.

Hacemos saber, que ante Nos pareció el Promotor Fiscal de este Santo Oficio, y nos hizo relacion, diciendo: Que bien sabiamos, y nos era notorio, que muchas personas, que asistian à la publicacion del Edicto general de la Fe, no le podian entender por su mera lectura; y que otras muchas, por no asistir à ella, carecian de su noticia: y para que en adelante ninguno pueda pretender ignorancia, nos pidió, que en las puertas de las Iglesias mandásemos fixar un breve resumen de los capítulos mas substanciales de él, para su mas fácil y universal inteligencia,

Y Nos, visto su pedimento ser justo y conveniente al servicio de Dios nuestro Señor, mandamos hacer este compendio y sumario, para que si supieredes ó entendieredes, ó hubieredes visto, u oído decir, que alguna, ó algunas personas vivas, presentes, ó ausentes, ó difuntas, hayan contravenido en algo à nuestra Santa Fe, lo digais y manifesteis ante Nos.

3. Especialmente si sabeis, ó habeis oído decir, que alguna, ó algunas personas han guardado, ó guardan la Ley de Moysés, hecho algunas ceremonias

Z

en